tamen caput est, & vna origo, & vna mater, fœcunditatis copiosa adulterari non potest, Christi sponsa incorrupta est & pudica, vnam domum nouit, vnius cubilis sanctitatem casto pudore custodit.

Ecclesia vt sancta ita ornata iustitia, ad charitatem.

Hęc autem ecclesia, quia sancta, ideò sicut semper recta fide, ita ornata creditur iustitia, & charitate. Propter quod apostolus ad Ephę. 5. Christus inquit, dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans illam lauacro aquę in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, neq; rugam, vel aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Siquidem fidei indeficientiam Christus suæ ecclesię promisit, dum beato Petro futuro eius pastori ait Luc. vigesimosecundo. Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, dum rectorem spiritum sanctum ab ea nunquam separandum pollicetur. Rogabo inquit Ioann. decimo quarto patrem meum, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum dum eam patri in suo nomine semper seruandam commisit, cui dixit Ioann. decimo septimo. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Et sequitur: Non autem pro his tantum rogo, videlicet apostolis, sed pro eis, qui crediturí sunt per verba eorum in me. Cum denique suiipsius presentiam gratiosam ab ecclesia nunquam subtrahendam pacto firmissimo approbauit dicens Matt. 28. Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Ex quibus emergunt duæ fundamentales veritates corollariæ, his accommodę quæ sequuntur.

Prima veritas, quam sancta mater ecclesia tanquam catholicam diffinit, vel acceptat, eadem veneratione credenda est, quasi in diuinis literis sit ex præssa. Huic simile est, quod Augustinus contra epistolam fundamenti scribens, ait: Euangelio non crederem nisi ecclesiæ autoritas me compelleret. Cui beatus Bernard. (in sermone de vigilia natiuitatis domini, qui incipit: Hodie scietis) consonare videtur in hæc verba. Ecclesia secum habet consilium, & spiritum sponsi & Dei sui, cui dilectus inter vbera commoratur ipsam cordis sedem principaliter possidens, & conseruans. Nimirum ipsa est, quę vulnerauit cor eius, & in ipsam abyssum secretorum Dei oculum contemplationis immersit, vt & illi in suo, & sibi in eius corde perennem faciat mansionem.

Cum ergo ipsa in scripturis diuinis verba vel alterat, vel alternat, fortior est illa compositio, quam positio prima verborum, & fortasse tantò fortior, quantum distat inter figuram, & veritatem, inter lucem, & vmbram, inter dominam, & ancillam. Secunda. Preceptis vniuersalis ecclesiæ, cuius perpetua est sanctitas, & iustitia, necesse est fideles quoslibet obedire, pro qua sufficiat illud sponsi eius testimonium Matth. decimo octauo. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Facit ad idem canon beati Grego. decimoquinto distinctio. Sicut sancti, de quatuor consiliis euangelicis ita loquentis. Quia dum vniuersali sunt consensu constituta, le & non illa destituit, quisquis præsumit absoluere, quod ligant, aut religare, quod absoluunt, vbi consiliorum autoritatem, quam tanquam euangelii suscipiendam testatur, in vniuersalis ecclesiæ consensu fundat. Quia etiam ecclesia hæc catholica est idest vniuersalis. Isidorus libro. primo de summo bono capitu. 16. præter hoc, quod per vniuersum orbem diffunditur non in aliquo angulo coarctatur, omnes regni æterni filios comprehendit. Propter quod extra illam quisquis manserit, salutem consequi non valebit quod beatus Aug. in de fide ad Petrum capit. 35. approbat, dicens: Firmissimè tene, & nullatenus dubites non solum omnes paganos, sed & omnes iudeos, & hæreticos, atque schismaticos, qui extra ecclesiam sanctam præsentem finiunt vitam in ignem æternum itu-

ros